

Depl

DISSE^TATI^O THEOLOGICA

DE

TRADITIONIBUS CHRISTIANORUM SACRIS,

CUJUS PARTEM PRIMAM

CONSENSU MAX. VENER. FACULT. THEOLOGICÆ

IMP. ACAD. ABOENSIS

PRAESIDE

Mag. JACOBO BONSDORFF,

S. S. Theol. Doct. & Profes. Publ. Director. Semin. Theolog.

Equite Imper. Ord. de S. Volodim. in IV:ta Classe,

PUBLICAE CENSURAE

PRO SUMMIS IN THEOLOGIA HONORIBUS

PROPONIT

ROBERTUS VALENTINUS FROSTERUS,

Ph. Mag. S. S. Theologiæ Licentiatus atque Docens.

In Auditorio Theol. die XI Junii MDCCCXXV.

horis ante & post merid. solitis.

ABOAE, Typis FRENCKELLIORUM.





Consentient inter se, & mirum quidem in modum consentient, omnium gentium, quas vel ullum culturæ collustraverit lumen, ex antiquissimis superstites narrationes, fuisse quondam statum longe felicissimum aureæ ætatis nomine insigniri maxime solitum, eundem vero pejori, proh dolor! rerum conditioni jamjam cessisse. Sic dudum etiam Moses, qui, dum de primordiis rerum omnium ageret, בְּרִית יְהוָה actus, traditiones, ceteris quibusvis hodieum exstantibus longe majores, memoriæ conservandas prodidit a), aureum hocce

A

sæcu-

-
- a) Nemo nostris jam vereatur temporibus, ne eruditissimorum hacce Philologorum Theologorumque satis superque probata sententia, de auctoritate quid decebat Mosis divina. Etenim, quamvis persvassissimum nobis est de inspiratione Mosis, auxilioque de cœlo immediata via eidem pluries concessa, a recto tamen haud parum abhorre putamus, ibi mira sectari, ubi ex solito naturæ ordine miri speciem præ se ferentis rei explicatio plane exauriri potest. Quocunque oculos converteris, vestigia longe luculentissima extraordinariam ejus missionem comprobantia nihilo tamen minus invenies.

sæculum vividissimis depictum coloribus oculorum quasi obtutui exhibuit, eandem vero postmodum nunquam reversam temporum felicitatem, nec ullis miseriarum ærumnarumve quæ nos premere solent & vexare permixtam, non diu durasse itidem docuit. Bene natorum & educatorum liberorum non dissimiles, quæcunque, ut his parens, sic illis Summus rerum præceperat Moderator, absque ulla quantumvis tacita cohabitave oppugnatione, primi recentis terræ incolæ læti agentes, ne suspicati quidem sunt fore, ut posset propria ipsorum voluntas a Dei & patris optimi, clementissimi quoquomodo aut unquam differre. At הַחֲדָשָׁה שְׁרָה עִירָם מִבְּלַחְנֵת חִינָּה (Genes. III: 1) & in pectoribus hac sua innocentia longe beatissimorum anxia dubia improbus excitavit. Quod ubi factum, de familiari & sancte servato naturæ quasi amplexu se ipsos avulserunt generis nostri parentes, integritatemque animi, pacem atque felicitatem curiositate sua sic amiserunt. Primam namque & Deo proximam infantiae simplicitatem deserentes, & ex amœnissimo Paradiso, micantibus jam Cheruborum gladiis custodito, egredientes, divinæ illius culturæ cælestè donum — ipsius Dei, qua ornati quondam fuerant, imaginem — perditum ibant miseri mortales.

Fuerunt certe tempora, quibus, dum de primo hocce generis humani statu atque conditione sollicitius

citius exquirerent rerum curiosi, in sublimi hacce;
 quamvis hanc quidem ipsam ad verbum interpretati
 fuerant, Mosaica narratione adeo non simpliciter
 adquiescendum judicarent, ut longius etiam progres-
 si eandem ex suo ingenio amplificarent, resque nul-
 lo unquam modo probatas & ne probabiles quidem
 sibi aliisque obtruderent credendas. Mutatis vero
 temporibus, mutata est etiam haecce rem contem-
 plandi ratio, & quidem adeo mutata, ut in tota ista
 narratione nil verum, nil exultae, ut dicebant, ra-
 tioni conveniens deprehendere sibi viderentur ve-
 tustissimarum rerum scrutatores. Valet autem hic
 ut alioqui saepe Ovidii illud: *medio tutissimus ibis.*
 Nobis igitur, omnes quamvis conjecturas de Ada-
 mo, quoconque eruditionis apparatu instruētissi-
 mo b), ad nugas, ut fas est, omnium jam pace
 referentibus, non adsunt tamen rationes sat firmæ
 cur eorum assentiamur opinioni, qui primos ho-
 mines hujus mundi scenam ingressos, ex statu ru-
 di exiisse putent & agresti, mortaliumque genus
 temporum demum successu variisque & horum &

A 2

suis

b) Τέλε τέχναι καὶ γεωμετρία. Τέλε ἐπιστῆμαι λογικαι τε
 καὶ ἀλογοι. Τέλε προφητεῖαι, ιερεργίαι καὶ καθαρμοὶ καὶ
 νομοὶ γεωπλοὶ τε καὶ ἀγροφοι. Τέλε πάνται ἐνεργειαὶ, καὶ
 διδαχηγματα, καὶ στα καὶ τὰ τὸν βίον αναγκαῖαι χρεῖαι τε
 καὶ διαιται. SVIDAS in Adam. FABRICII Codex Pseudepi-
 graphus Veteris Testamenti. Ed. Sec. p. 8.

suis casibus, inopia in primis, impulsu[m], a feritate hacce ad vitam cultiorem progressum fuisse contendant. Svadent scilicet e contrario rationes perplurimæ, ut in omnibus Supremum eum veneremur rerum Moderatorem, qui primos hos humani generis parentes ut Sibi proprius conjunctos, præstantiorem vivere vitam, cupiditatum quippe expertem & innocentem, siverit, ornatosque esse celsiore quadam & divina cultura, revelationis ope ipsis concessa voluerit c). De hac enim altiori vita: de hac dein deperdita cultura loqui videntur veterum mythicæ narrationes, hanc comprobare sacræ optimarum quarumvis gentium traditiones. Et quidem, si re vera currente demum tempore exculti fuissent homines, sique sola impulsi inopia sublimiorem rerum sibi comparassent cognitionem, cur, quæsumus, eæ omnino artes earumque rerum scientiæ antiquissimæ sunt, quorum nullum fere perspicias cum usu vitaque communi commercium d)?

Quæ

c) Was bey uns Wissenschaft ist, erscheint in jener ältesten Zeit mehr als Offenbarung eines höheren Geistes an den Menschen. SCHUBERT *Ansichten von der Nachtseite der Naturwissenschaft*. Dresden 1818 p. 51.

d) SCHUBERT l. c. p. 28. J. v. MÜLLER *Vier und zwanzig Bücher Allgemeiner Geschichten besonders der Europäischen Menschheit. Erster Theil. Das erste Buch. Kap. I.* Hæc secum reputans MÜLLER, ita deinceps optime loquitur: Scheint es nicht, als hätte der uns innwohl-

Quæ igitur cum ita sint cumque sic phæno-
mena, explicatu alioquin difficillima, optime pos-
sint illustrari, nescio equidem cur eorum non am-
pleteamur sententiam, qui, quamvis perierit prima
qua gavisi sunt generis nostri statores sapientia,
altior illa quidem quam ut nos humo propiores
eam suspicere valeamus, memoriam tamen præter-
itorum remansisse contenderunt nonnullam, so-
numque quasi repercutsum ex diebus præteritis,
felicissimis, at fuisse & hujus eximiae quondam
culturæ quasdam reliquias a patre ad filium conti-
nua serie fando propagatas e). Hanc vero rerum
divinarum humanarumque multiplicem & ex tradi-
tionibus hoc modo divulgatis conservatisque com-
paratam notitiam quo serius litteris mandabat Mo-
ses,

nende Hauch der Gottheit, unser Geist, gewisse unent-
behrliche Fertigkeiten und Begriffe, zu denen er durch
sich selbst sich nicht wohl hätte emporschwingen können,
durch unmittelbaren Unterricht eines höheren Wesens
bekommen, und eine Zeitlang erhalten? Was hingegen
den Gebrauch materieller Anlagen betraf, blieb ihm zu
Uebung seiner Geisteskräfte überlassen. Durch den Lauf
der Zeiten, durch die langwierige Mühe der Urbarmachung
eines öden Erdbodens verdunkelten sich nachmals
bey den meisten jene reinen Begriffe der Stammväter; da-
für nöthigte sie das Bedürfniss zu mannigfaltigen Kün-
sten. Confer. etiam J. G. VON HERDER *Ideen zur Ge-
schichte der Menschheit. Erster Theil. Neuntes Buch V.*

e) J. A. EISENMENGER *Entdecktes Judenthum. P. I. p. 319 sq.*

ses, eo minus potuit illarum vis & vigor infringi penitus atque supprimi: vigebant e contrario, sumque una cum scriptis narrationibus dignitatem eadem tuebantur. Nec mirum. Magna etenim semper fuit antiquitatis vis atque auctoritas. Quid nigerit etiam traditiones quantumvis nondum consignatae litteris magni habendae censerentur magna que cura & diligentia in Mysteriis f) custodirentur? Hinc namque cordatissimi quique non tantum rerum scitu dignissimarum, litteris licet non traditarum, potuerunt acquirere cognitionem, verum earum quoque quæ scriptis jam exstant, ubiorem explicandi comparare facultatem. Quin immo veri simillimum est ὑπὸ πνευματος ἀγίας Φερομενες Veteris Testamenti ἀγίας θεος ανθρωπος (2 Petri I: 21) scientiam, qua pollerent, rerum divinarum mirabilem, ex eorum traditionibus, quibus harum rerum memoria & scientia curæ cordique antea fuerat, ad partem hausisse. Fieri namque non potuit facile, ut, qui ipsos in opere dirigeret sanctissimo, easdem inutiles contemtasque præterire sineret. Quamvis vero his traditionibus uterentur Judaicæ gentis doctores, earum tamen usus arctissimis erat limitibus circumscriptus. Temporum autem successu aliter res ire coeperunt: veritatis amor

f) Verisimillima nobis multis ex argumentis videtur res; etiam apud Hebreos Mysteria fuisse. Confer. W. M. L. DE WETTE Commentar über die Psalmen p. 204.

amor frigescere: aliena studia prævalere. His vero studiis cum Scripturam Sacram minime favere perspectum esset, traditionum usus atque auctoritas hoc majori, ne dicam diligentia, verum aviditate, etiam amplificata est, quia quo magis invalescerent hæc, eo magis occideret illa, necesse erat. Hæc autem agendi ratio non totius erat gentis, nec probata omnibus: plures enim satis erant sagaces ad bene omnino quorsum ea duceret perspicuum. Pharisæorum vero sectæ cum vehementer arrideret, factum est, ut traditionibus hi homines adeo abuterentur, ut easdem Sacris demum Scripturis longe anteponendas esse stolide judicarent g). Id tot hominum consensu factum fuisse & applausu, jam est in perniciem labentium temporum triste documentum.

Quoniam similitudinem hand exiguam inventisse nobismet visi sumus inter origines & incrementa tam Judæorum quam Christianorum de sacris traditionibus doctrinæ, iisdemque fere ex causis amborum jam in perniciem inclinata disciplina, formam ejus faciemque æqualiter ferme apud Pharisæorum sectam quam Ecclesiam Romano-Catholicam accessionibus depravatam penitus perspeximus atque corruptam, non alienum a nostro fore

g) FL. JOS. HISTORIÆ JUDAICÆ Svetice versæ connexa sextamque hujus partem constituens tractatio p. 79.

fore instituto hæc pauca præmittere, putavimus. Est namque nobis in animo de *Traditionibus Christianorum Sacris* pro virium modulo disserere, horumque de hoc capite sententias historica expone-re serie. Cumque verum omnino sit, diversum hanc ipsam doctrinam contemplandi modum plurimum contulisse ad procreanda dogmata haud pauca horumque variandum diversis in Ecclesiis habitum, & sic demum ad faustum illud ac maxime memorabile per immortalis nominis Lutherum paratum schisma, dignam præ multis judicavimus rem, quæ a nobis specimen aliquod Theologicum edituris, sub examen vocaretur. — Si vero L. B. nos nobiscum non satis reputasse perspexeris, quid valeant humeri, quid ferre recusent, reputes & ipse esse

Non tentare nefas, si spem vel spreverit error.

Christus, quique *Ipsum* comitabantur amici & clientes sincerissimi, consociationem omni adeo virtute exhibent ornatam, ut Christianorum eandem merito appellaveris *Paradisum*. Sed ut olim, ita nunc vicit occulte serpens malum. Crucis namque nefariæ morti celsissimum vitæ mortisque tradidit Dominum ingratum mortalium genus, miraque in sectatores Θεοθρωπία fidelissimos sæviit crudelitate. Cum igitur felicissima illa repente adeo fugisset rerum conditio, desiderio ejusdem arden-tis-

tissimo arrepti, piissimi quique Christi cultores, svavi saltem recordatione per omne tempus curam molestiamque, qua pressos vel senserunt vel hodie dum suos sentiunt animos, lenituri, jucundissima hæcce ac primitiva Christiani ævi tempora, fontis instar vitæ perpetuo ebullientis, recogitabant recogitantque, summaque semper prosecuti sunt & vel hodie prosequuntur veneratione: his etenim accepta debent celsa quævis divinaque, quæ requiem fassis anxiisque largiantur animis, solamina. Quum igitur non nisi orali ac viva rerum divinarum notitia a Sanctissimo Salvatore primisque Christianæ Religionis Coryphæis imbui svevissent tam Judæi quam Pagani, non solum apud Christianos magni habita sunt hæc ore trad'a præcepta, verum etiam, quoniam e vivis ante abierant Apostoli, quam, ansa ultro plerumque data *h)* ab iisdem exarata scripta increbuerant, unica fere agendorum credendorumque regula Sacra sensim haberi cœpta est Traditio. Quicunque de cetero observaverit mox post primorum illorum Ec-

B

cle-

b) Cum non minus in iis, quæ fide amplectenda essent, quam in aliis ad cultum pertinentibus rebus definiendis, dissentire inter se, aliquæ aliter statuere inciperent Ecclesiæ rum doctores, ortæ huic dissensioni Apostoli Evangelistæ que occurserunt, in perpetuam normam & legem sua ediderunt scripta, sic consensu in promulganda ediscenda que religione bene consulentes.

clesiae siderum, Apostolorum, occasum, horumque luce atque ductu vix dum remotis, nondum a sincera & non fucata specie notabiliter deflexisse religionis doctrinam, is quidem Ecclesiis recens natis vitio haud verterit, quod hanc Traditionem, hanc inquam, a primis Ecclesiarum doctoribus insinuatam & concessam sibi, magna cura & diligentia sinceram custoditam propagatamque doctrinam ita putarent servandam, ut unicum fere quod contra licentiosa Hæreticorum dogmata quærerent præsidium, eandem perdiu judicarent. Postea quoque, cum tandem in publicum fere cujusvis usum permanassent divina illa, quæ summam religionis exponerent scripta, Traditioni forsitan nimirum aut brevi aut simplici vel illustrandæ vel proprius determinandæ non raro inservire jubebantur eadem i). Neque enim ferebat ipsa rei natura, ut emorerentur hæ traditiones: quis namque non videt fieri haud potuisse, ut omnia & singula quæcunque egisset Christus docuissetque, ab Apostolis Evangelistisque litteris conservarentur? Et nonne Is., ex cuius ore vanum nullum umquam exierat verbum, multa egisse, multaque memorabilia saltem scituque, si vel minus *necessaria*—quod tamen Romano-Catholici vere se statuere posse confirmant — utilia tamen & jucunda docuisse,

nec

i) MÜNSCHER *Handbuch der Christlichen Dogmengeschichte.*
Erst. B. p. 125. Dritte unveränderte Auflage.

nec tamen illa omnia aut litteris mandata aut facile mandanda, censendus est *k)*? Quoniam vero traditionum omnium ea est natura atque indoles, ut currente tempore variis accessionibus mendisque inquinentur, veræque a falsis non nisi diligenti investigatione, quæ in cujusvis haud est potestate, possint secerni, jure omnino ad easdem commendandas & in publicum usum recipiendas ejus in primis nomen valuit atque auctoritas, qui earum se ferret auctorem. Sed ab hoc ipso initio longius progressa est res. Cum enim maxima eruditorum virorum orbitate Ecclesia laborare inciperet, diligentiorque quævis rerum disquisitio elanguisset, personæ fide dignissimæ partes suscepit vere, ut dicere amabant, creditis Ecclesiæ auctoritas: in hujus enim sinu quasi & gremio integerimas custodiri traditiones adeo non dubitatum est, ut nullis omnino id egere testimoniiis judicaretur. Sic, quod attentionem animi meruisset vel diligentissimam, aliam prorsus esse Ecclesiæ, aliam

B 2

per-

k) JOH. XXI: 25. Et quidem eos hujus ævi libros quos dicunt apocryphos, ex his viva voce divulgatis narrationibus ad quandam saltem partem compositos fuisse, vix dubitandum. Potuisse enim ut votis Christianorum satisficeret, quam perfectissimam scilicet de Christi Apostolorumque vita cognitionem desiderantium, diligenter traditionum in Christiano cœtu vigentium collectionem multum conferre, quis non videret?

personæ, cui credatur, dignæ auctoritatem, omnibus fere & singulis pedetentim excidit *l).* Quæ cum ita sint, cumque pejoribus jam fatis regentur ætas, non est quod mireris, eo demum fuisse perventum, ut res multas peregrinas, quæ in religionis doctrinam licenter irrepissent faciemque ipsius commutassent aut deturpassent sinceram, ex Christo Apostolique derivare, (in primis si harum lateret initium, auctor. & origo) & turpiter vellent & impune possent haud satis vel digne vel pie sentientes; quod ad auctoritatem Petrinæ sedis, quacum sacerdotum omnium intimo nexu cohaerebat existimatio & salus, juvandam eadem dirigerentur maxime, quodque perswasum sibi habere viderentur Monachi, Clericique qui rem litterariam, tam sacram quam profanam unice fere in Occidente tum temporis tractabant, si quid in religionis, qualem hi profiterentur, commodum, conferre videretur, id impune fingere & spargere licere. Hæc omnia insignis hominum pars servili fide amplexa est, eam, ut solet vulgus, aut auctoritate clarioris cujusdam viri aut mire prona in fabulas fide facile sibi imprimens *m).* Sic sensim Christianorum de Sacris Traditionibus doctrinae labem

l) W. M. LEBER. DE WETTE *Christliche Sittenlehre* Zw.
Th. p. 140.

m) DALLEUS *De usu Patrum* p. 62 sq.

bem fuisse inductam, tempore, quod omnia immutat, aliena & impura magis magisque admiscente, puramque disciplinam adeo degenerasse inventet quisque, ut Pandoræ hæc demum pyxidi, malorum omnium matri similis deprehensa fuerit, fluminique quod, dum currit, rivos excipit omnes, donec ingens adeo fiat, ut quoquo ruat, omnia frangat.

Sed hæc haclenus, & ipsos jam harum rerum testes, quæ in antecessum diximus, ulterius explicaturos, confirmaturos, adeamus, audiamus.

Tria vero, quæ Christum subsequebantur secula, paucissimos habuere scriptores. Placueritne illorum temporum fidelibus, ut docet Origines, Christianismum vitæ innocentia morumque honestate potius, quam pigmentis oratoriis propagari & retineri, an continuæ quibus affligebantur calamitates ipsos a scribendo deterruerint, in medio relinquisimus. Nec tamen quæ ab iis edita sunt scripta pauciora, ad nos omnia pervenere: temporis, quod omnia absunit, injuria plurima abolente: hominumque alienis sæpe studiis distractorum amentia, quæ ad palatum non sapiunt, corrupte. Princips igitur qui a nobis heic afferatur maximeque, quia rem quam tractaturi sumus plurimum illustrat, memorandus jure habebitur *Irenæus*. Is enim,

nim, cum multiplices errores, graves eos quidem, sua ex mente, & abominandos, quibus Gnosticos imbutos esse intelligeret, iisdem, si fieri posset, eripere ut peculiare sibi injunxisset officium, conqueritur valde neque Scripturis consentire illos, nec Traditioni *n*). Sic igitur in erroribus eorum refutandis usus est Traditione, utpote a Scripturis diverso omnino religionem Christi sanctissimam cognoscendi probandique fonte. Hæc ejus de dupliciti tali religionis pernoscendæ scaturigine sententia inde etiam liquet, quod, quibus nulla unquam Apostolicarum scripturarum competiisset cognitio, nihilo tamen minus eosdem probos esse Christi cultores concedat, dummodo scilicet antiquam diligenter custodirent traditionem *o*). Exigua fuit Ire-

n) Cum ex Scripturis arguantur in accusationem convertunt ipsarum scripturarum, quasi non recte habeant, neque sint ex autoritate, & quia varie sint dictæ, & quia non possit ex his inveniri veritas ab his, qui nesciant traditionem. — Cum autem ad eam iterum traditionem, quæ est ab Apostolis, quæ per successiones presbyterorum in Ecclesiis custoditur, provocamus eos, qui adversantur traditioni: dicent se non solum Presbyteris sed etiam Apostolis existentes sapientiores, synceram invenisse veritatem. — Evenit itaque neque scripturis jam neque traditioni consentire eos. IRENÆUS *Adversus Hæreses* L. III: c. 2. (Editio Grynaei).

o) Quid autem si neque Apostoli quidem scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi traditionis,

Irenæus suffultus doctrina, unde omnia, quæ a doctoribus acceperat, cœca fide amplecti maluit, quam ipse molestum perscrutandi opus aggredi: Qui igitur credulum illum Papiam, qui »se non tantum utilitatis ex libris, quam ex viva voce relaturum« judicaret *p)* quemque Eusebius admodum modico ingenio præditum fuisse refert *q)*, in horum doctorum numero fuisse meminerit, is, inquam, non mirabitur valde Irenæum magni aestimasse Traditionem eique tantum tribuisse, ut veram Scripturarum explicationem non nisi hujus, a Presbyteris conservatæ, beneficio hauriri posse exstimate *r)*. Cum de cetero hoc jam ævo multa peregrina religionis doctrinæ adjungere incep- tum esset eumque tæderet nimis subtilium disquisitionum a Gnosticis adhiberi solitarum, omnes

tor-

quam tradiderunt iis, quibus committebant Ecclesias, cui ordinationi assentiunt multæ gentes Barbarorum, eorum qui in Christum credunt, sine charadre & atramento scriptam habentes per spiritum in cordibus suis salutem, & veterum traditionem diligenter custodientes. L. c. C. 4. Mirum est igitur negari a Protestantibus, dum de Traditionis usu cum pontificiis certant, quidquam valuisse eam apud vetustissimos Christianos. His enim non Historia minus quam rei natura contraria est.

p) EUSEBIUS *Hist. Eccles.* L. III. c. 39.

q) l. c.

r) IREN. *Adv. Hæreses* L. IV. c. 26. (Apud Rössler).

torvo intuebatur vultu, qui ceterorum vestigia non semper serviliter prementes, ipsi quoque interdum essentialium quarundam rerum, quae ad religionem pertinerent, indolem atque naturam sibi susciperent investigandam s). Quantæ vero utilitati fuerit hæc agendi ratio ab Irenæo, qui sic ab omnibus investigationibus erat alienissimus, commendata, exitus optime declaravit potestque facile ab eo observari, qui illuc *usum rationis*, quamvis non omni ex parte sanum, hic ejus *contemptum* additamenta traditioni suppeditasse meminerit. Quandoquidem igitur concedendum est, unius alteriusve sententias solidosque ritus ad traditionem augendam corrumpendamque adhuc quidem non multum contulisse, via tamen qua quondam id futurum erat, eo potius censenda est ab Irenæo strata, quo solent magis doctores & inferiorum esse duces & ingenium temporis maxime formare. Hanc ergo posteros, quicquid exemplo fiat, id etiam jure fieri putantes, magna ingressos esse aviditate, Eccle-

s) IREN. *Adv. Hæreses* L. II. c. 28, L. V. c. 20. (Apud eundem) Essentialibus doctrinis, quas cujusque esset cœca fide amplecti, enumeratis, (L. I. c. 10 apud Rössler) multis tamen res ejus generis affert, in quas cuique doctori libere inquirere liceret. (l. c.) Man darf höchstwarscheinlich annehmen, dass Iren. hier solche Punkte anführe, über die in der That die damalige Lehrer schon gedacht, und sich auch zum Theil herausgelassen haben. RÖSSLER *Bibl. d. Kirchen-Väter* Erst. Th. p. 286 not. 23.

Ecclesiæ fata testantur uberrime. Nec vero est alio quoque respectu hic Irenæus noster in expōnenda traditionis historia obliviscendus. Cum enim fato decretum esse videretur, Romam non semper legionum ope toti terrarum orbi terrorem esse injecturam totumque suis vinculis quasi constrictum esse habituram; — ipsa namque viæ, desolata, iram justissimæ Nemesis tandem est expecta; — alia prorsus via, postquam Deam placaverat, anathematibus scilicet, excommunicationibus & rogis, majorem adhuc, si fieri possit, in gentes fere omnes exercuit vim, se nempe unicam esse veræ traditionis conservatricem arroganter dictans. Fundamentum hujus doctrinæ, qua nihil quidem plus ad ingentem illam & stupendam totique tandem orbi formidabilem Petrinæ sedis potentiam contulit, Irenæus suo exemplo jecerat suaque auctoritate, quæ plurimum valuit, confirmarat. Statuerat namque, cum Gnosticorum refutare decrevisset sententiam, qui, contradictionem inter suas doctrinas Novique Testamenti effata sublaturi t), se "indubitate & incontaminata & syncere absconditum scire mysterium" u) vane jactitabant, ceterarum Ecclesiarum traditionem metiendam esse v) ex illa quæ conser-

C vata

t) MÜNSCHER L. c. Erst. B. p. 120 sq.

u) IREN. *Adv. Hæres.* L. III. c. 2.

v) Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiores principali-

vata est in Ecclesia "a glorioissimis duobus Apostolis Petro & Paulo Romæ fundata & constituta" x). Quæ quamvis ita sint, errant tamen nihilo minus omnes quotquot sint, qui ex Irenæi scriptis testimonium quoddam de ejus generis traditionibus, quarum in Scriptura Sacra nullum invenire licet fundamentum, erui posse putent y). Persuasum namque sibi habuisse Irenæum, omnia Christi Apostolorumque dicta omnesque eorum sermones, qui traditionis nomine circumferrentur, non tantum esse ταὶς γραφαὶς συμφωνα, sed ex his omnia scitu necessaria litteris esse mandata, luculentissime vel ex hisce ejus apparebit verbis: "quod in principio præconiauerunt Apostoli, postea per Dei voluntatem

tatem, necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique fideles, in qua semper ab his qui sunt undique, conservata est ea quæ est ab Apostolis traditio. IREN. *Adv. Hæres.* L. III. c. 3. Non ignoramus quidem Celeb. SCHROECKH (Christl. Kirchengeschichte Dr. Th. Zw. verb. Auflage p. 212 sqq.) hocce effatum ita explicare tentasse, ut nihil videatur Irenæus Ecclesiæ Romanæ tribuisse, quod non quisque suo probet consensu. Fatemur tamen, nobis non valde arridere ejus hanc rem explicandi methodum. Nimis namque videtur Vir Celeb. a partibus esse Protestantum. Confer. SCHMIDT *Handbuch der Christl. Kirchengeschichte*, Erst. Th. p. 217.

x) IREN. *Adv. Hæres.* I. III. c. 3.

y) Celebris est de hac re inter *Chemnitium* & *Andradium*

tem in Scripturis nobis tradiderunt, fundamentum & columnam fidei nostræ futurum" z).

In his rebus fere omnibus antiquissimus in Ecclesia Occidentali rerum Ecclesiasticarum scriptor *Tertullianus* bene omnino cum coævo suo Irenæo consentire suamque, ad partem saltem, ex hujus scriptis hausisse videtur doctrinam. In eo vero ambo hi maxime differunt viri, quod hic, quia sacerdotali Romanæ Ecclesiæ ordini numquam fuerat adscriptus, Romam non adeo laudibus efferret, ac ille, hujus Ecclesiæ quondam membrum a). Ex singulari methodo qua Tertullianus, Presbyter hic Carthaginiensis, Hæreticorum erroribus occurrebat, quamque aliis sequendam inculcabat omnibus, facillimum omnino est observatu eum quopue duplicitis fontis facere mentionem, unde scilicet religionis tam cognitio quam confirmatio petenda sit. Cum enim Hæreticos, quia in opiniones suas solerent detorquere scripturas b), ad easdem

C 2 non

pugna. Hæc vero demum sunt illius verba: ita ne apex quidem in tota hac Irenæi disputatione ostendi potest de ullo dogmate quod ex sola traditione ita producat, ut nullo scripturæ testimonio probari possit. CHEMNITIUS *Examen Concilii Trid.* p. 118.

z) IREN. *Adv. Hæres.* L. I. c. 3.

a) SCHMIDT L. c. Erst. Th. p. 218.

b) Ista hæresis non recipit quasdam scripturas: & si recipit

non esse admittendos dicit *e*), sed ex *regula fidei* refutandos *d*), quam nempe a Christo institutam, Apostolis traditam horumque cura Ecclesiis demandatam esse docet *e*), cuius vero veritatem integritatemque ideo demonstrare non curat, quod cum Scripturis consentiat, inde vero eandem vult probatam, quod constans omnium consensus non error sit sed traditio *f*), bene quidem apparet hanc *regulam* fuisse per se consistens veræ religionis testimoni-

quas, adjectionibus & detractionibus ad dispositionem instituti sui intervertit; & si recipit integras: & si aliquatenus integras præstat, nihilominus diversas expositiones commentata convertit. *TERTULLIANUS De Præscriptionibus adversus Hæreticos Caput XVII.*

c) Hunc potissimum gradum obstruimus, non admittendos eos ad ullam de scripturis disputationem. *Præscript. c. XV.*

d) In quo consistat hæc fidei regula; vide: *De velandis virginibus C. I. De præscript. adv. Hæretic. C. XIII. Adversus Praxeam C. II.*

e) Præscript. c. XXXVII.

f) Ecquid verisimile est, ut tot ac tantæ (Ecclesiæ) in una fidem erraverint? Nullus inter multos inventus est unus exitus: variasse debuerat error doctrinæ Ecclesiarum. Ceterum quod apud multos unum invenitur non non, est erratum, sed traditum. *Præscript. C. XXVIII.*

stimoniū, nec, quoniam "exercitationem scripturarum" prorsus denegabat *g*), ex scripturis ullo modo haustam erutamque. Hanc regulam "immobilem & irreformabilem" cōsens *h*), & "nihil ultra scire, omnia scire esse" judicans *i*), Hæreticos vero nihilo minus in eandem turbide inquirere observans, non potuit quin ira adeo vehementi coriperetur in philosophiam, qua hæreses exoriri & "a qua easdem subornari" intelligeret *k*), ut "materiam sapientiae sæcularis, temerariam interpretem divinæ naturæ & dispositionis" — — "affectatricem & interpolaticam veritatis" eandem nuncuparet *l*), ipsosque philosophos ut "patriarchas hæreticorum" calumnia-retur *m*). Huic igitur cogitandi rationi congruenter omnino agens, consuetudinis vim vehementer adeo auētam voluit corroboratamque, ut propriam quamcunque disquisitionem demum dissuaderet inutilem-
que

g) Præscript. C. XIV.

h) Regula quidem fidei una omnino est, sola immobilitis & irreformabilis. De velandis virginibus C. I.

i) Præscript. C. XIV.

k) Præscript. C. VII.

l) Præscript. C. c.

m) De Anima C. III.

que judicaret *n*). Hinc non mirum, quod omnem tandem inveteratam observationem, quam, scriptura licet non determinante, induxisset consuetudo, ex traditione emanasse credulus somniaret *o*), & nihil quidquam usurpari posse autumaret nisi fuisse ante traditum *p*). Cum igitur consuetudine longi temporis confirmatum fuisse necesse esset, quod ab eo probaretur, Hæreticorum doctrinas eo facillime subverti judicavit, si easdem serius inventas esse demonstraretur *q*). Quod si vero ita res

n) Quid Athenis & Hierosolymis? quid Academiæ & Ecclesiæ? quid Hæreticis & Christianis? Nostra institutio de portico Salomonis est, qui & ipse tradiderat: Dominum in simplicitate cordis esse querendum. Viderint qui Stoicum, & Platonicum, & Dialecticum Christianismum protulerunt. *Præscript. C. VII.* Nobis curiositate opus non est post Christum Jesum, nec inquisitione post Evangelium. Cum credimus, nihil desideramus ultra credere. Hoc enim prius credimus, non esse quod ultra credere debeamus. *Cap. VIII.*

o) Hanc (observationem inveteratam) si nulla scriptura determinavit, certe consuetudo corroboravit, quæ sine dubio de traditione manavit. *Corona Militis C. III.*

p) Quomodo usurpari quid potest, si traditum prius non est? *Cor. Milit. c. c.*

q) Ex ipso ordine manifestatur, id esse Dominicum & verum, quod sit prius traditum: id autem extraneum & fal-

res ferret, ut origo quarundam hæresium ex Apostolorum usque ætate esset repetenda, tum ejus ex sententia probandum, easdem in modum vere credentium Ecclesiarum nec ab Apostolis nec ab Apostolicis viris esse traditas, neque per veram successione ordinem custoditas r). Sic igitur nec ratio, nec justa ulla argumenta dogmatis aut rei cuiuslibet confirmarent veritatem: hæc etenim esse ex inveterata observatione unice & consuetudine, quæ scilicet veræ traditionis ei erat certissimum documentum, cognoscenda. Quamvis vero tantus hic noster fuerit traditionum patronus, tantiq[ue] easdem

sum, quod sit posterius immissum. *Præscript. C. XXXI.*
Ad Hæreticos merito dicendum est: qui estis? quando & unde venistis? quid in meo agitis non mei? — — Mea est possessio. quid hic ceteri ad voluntatem vestram semi-natis & pascitis? Mea est possessio olim possideo, prior possideo, habeo origines firmas, ab ipsis auctoribus quorum est res. *C. XXXVII.*

r) Ceterum si quæ audent intserere se ætati Apostolicæ, ut ideo videantur ab Apostolis træditæ, quia sub Apostolis fuerunt: possumus dicere: Edant ergo origines Ecclesiarum suarum: evolvant ordinem Episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverint, habuerit audzem & antecessorem. *Præscript. C. XXXII.*

dem æstimandas etiam "sine ullius scripturæ instrumento" voluerit *s*), cave tamen credas Tertulliani sententiam fuisse, fieri posse ut duplex hic religio-
nis fons, Scriptura nempe & Traditio, sibi invicem ullo modo sit contrarius, docet namque Aposto-
los primum viva voce postea vero per Epistolas manifestasse & promulgasse doctrinam a Christo
ipsis revelatam *t*).

Quod

- s*) Quæramus an & traditio non scripta non debeat recipi? Plane negabimus recipiendam si nulla exempla præjudicent aliarum observationum, quas sine ullius scripturæ instrumento, solius traditionis titulo, exinde consuetudinis patrocinio vindicamus. — — Harum & aliarum ejusmo-
di disciplinarum si legem expostules scripturarum, nullam invenies: traditio tibi prætendetur audrix, consuetudo confirmatrix, & fides observatrix. *Corona Militis C.*
III: IV.
- t*) Quid autem prædicaverint, id est, quid illis Christus re-
velaverit, & hic præscribam non aliter probari debere,
nisi per easdem Ecclesiæ, quas ipsi Apostoli considerunt,
ipsi eis prædicando, tam viva (quod a^gunt) voce, quam per
Epistolas postea. *Præscript. XXI.*